

Naturalium rerum accurata peruestigatio, qua nostris
potissimum temporibus multi occupati sunt, non potest
profecto non ingenuo cuius et liberali homini dignissima vi-
deri, cui summa opera, summumque studium adhibetur,
quippe quae, etsi nonnunquam iis, qui nouis experimentis
vel dubium quoddam diluere, vel magis confirmare verum
sibi proposuerant, perniçiei fuerit, in vniuersum tamen per-
multa et praeclara nobis praestiterit commoda; nam, vt vno
verbo omnia complectar, diuinorum, humanarumque scien-
tiarum incrementa repetitis scrutatorum naturae laboribus ad-
modum promota sunt. Posset quidem facile haec ipsa res va-
riis, iisque idoneis exemplis vberius illustrari; veruntamen
quum iam alii hoc argumentum sibi explicandum sumferint,
eosque fructus, qui ex naturae studio in nos redundant, ac-
curate descripserint, superuacaneam prorsus repetitam huius
rei per traſtationem censeo. Quare potius animo mihi pro-
posui, hac scribendi opportunitate oblata, obſeruationes non-
nullas recensere, quas mihi nuper naturalia quaedam corpora,
eorumque ad alia relationes inuestiganti facere contigit. Etsi
vero, vt ingenue profitear, hisce veluti symbolis, quae ad
chemiam proxime spectant, non augebitur valde, quam ha-
bemus de naturalibus rebus, cognitio, haud prorsus tamen
eae inanes et superfluae ab harum rerum peritis iudicabuntur,
quae, opinor, explicandis quibusdam phaenomenis aptae fu-
turae sint. Referam autem hac occasione potissimum de non-
nullis cum auro et hydrargyro institutis tentaminibus, ea,
quae in aliis quibusdam naturalibus corporibus expertus sum,
ad aliud mihi tempus seruaturus.

A 2

De